

Cap. XX.

DE REVERENTIA ORATIONIS.

Quia superius exposuit, qualiter esset psallendum, congrue nunc subjunxit: *De reverentia orationis*. Cassiodorus in psalmo XVIII, ubi dicitur: *Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi*, sic loquitur dicens, ait enim: *Permixto enim cum pavore dilectionis timore Domini, qui usu saeculari reverentia nuncupatur,*¹⁾ i. e. timor et dilectio una simul cum reverentia gignunt invicem orationis frequentationem cum pietate nimia et deprecatione assidua.

Sequitur: *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est? ET NON in multiloquio sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus.* Bene enim dicit: *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia*, quia hoc exemplum omnibus notum est, cum quali reverentia, principi vel potenti est loquendum. Quare cum timore et honore voce submissa loquitur? quia manifestum est: si quis non cum honore et humilitate locutus fuerit principi, non solum non merebitur impetrare, quod postulat, verum etiam damnum sibi acquirit - quasi diceret aliis verbis: Si homini, qui vermis et cinis est, loquitur cum honestate et humilitate, quanto magis cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est Deo, qui est omnium creator et rector? Bene, cum dixit humilitatem, praemisit *omni*, i. e. corporis et animae, h. e. sicut humiliamus et flectimus corpus, ita et, anima flectenda est, quia nil valet una sine altera.

Sequitur: *Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus.* Sic enim Dominus in evangelio prohibet dicens: *Orantes autem nolite*

¹⁾ In editis Cassiodori exemplaribus legitur ita: *Mixta enim cum pavore dilectio timor est Domini, qui usu saeculari reverentia nuncupatur.*